



Hugo Foscolo
(n. Zacynthi, a. 1778; m. Londinii, a. 1827)

MMXI

DIDYMI CLERICI PROPHETAE MINIMI INVECTIVA IN DOCTORES
MEDIOLANENSES QUI SESE INTELLEGENCIAE COMPOTES PROFITENTVR

CAPVT V

[...] 5. Hieromomus¹ fiet monachus et sacerdos in urbe transmigrationis Gallorum Senonum ad Austrum Alpium Penninae.²

6. Et accinctus diploide impudentiae,³ docebit pueros doctrinas quas ne ipse quidem didicerat.

7. Et fiet apostata:⁴ ut confiteantur omnes quod scriptum est per sapientem: Homo apostata, vir inutilis; graditur ore perverso; annuit oculis; terit pede; digito loquitur; pravo corde machinatur malum; omni tempore jurgia seminat: huic extemplo venit perditio sua.⁵

8. Ideo Hieromomus scribet diaria⁶ ad injiciendum ignem inter stipulas civitatis quam manus Dei liberavit ab eversione et perditione licentiae.⁷

9. Et replebitur maledictione populi sui: et sumens malitiam suam et atramentarium et baculum viatoris exulabit per gentes alienas, donec veniet in terra fertili,⁸ ubi sedet Babylo minima,⁹ ad populum epulantem, de quo vaticinatus est Jacob:

10. Asinus fortis¹⁰ accubans inter terminos: vidit requiem quod esset bona, et terra quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est serviens tributis.¹¹

11. Ibi coluber devorans infantem interfectus est a malo cydonio agricolae; et malum cydonium conterritum a lilio: lilium autem avolsum ab induperatore monacho cuius filii et abnepotes tenebant terram illam sub tributo per satrapas:¹²

12. Mox Deus dominus exercituum dedit Viraginem¹³ principem populi: sicarii, publicani, et lenones moechati sunt eam, et facta est meretrix.

PRECOR VT HIC ANNVS
TIBI LÆTIS AVSPICIIS INEAT
LÆTIORIBVS PROCEDAT
LÆTISSIMIS EXEAT
ac sæpius recurrat
semper felicior

Ἀποτείνης

Locus excerptus e Didymi Clerici Hypercalypseos libro singulari (MDCCCXVI), quem Hugo Phoscholos anno MDCCCX scripserat, antequam patria extorris Turicum se contulit primum, Londinium autem paulo post migravit.

«*Didymus est persona ficta hominis qui postquam litterarum studia coluit virosque doctos cognovit, multorumque hominum mores inspexit et urbes, intellexit denique et rerum humanarum vanitatem, et iterum librorumque inanitatem. Ab anno tricesimo noluit quidquam amplius legere aut scribere, aut se ad quempiam applicare, aut quo loco moraretur scire, in otio et tranquillitate suis unice vivens moribus et opinionibus, citra aliorum offensionem.*»

«*Hypercalypsis est satira in viros doctos Italiae, qui et disciplinam et veritatem cauponantes ipsius gentis litteras corruperunt: ambitionem atque errores Napoleontis aluerunt.*»

¹ Hieromomi voce adumbratur Urbanus Lampredius, «scriptor ephemeridum et paedagogus litterarum doctrinarumque omnium. Huius profecto ea natura est ut, ubicumque est, discordias ac lites serat».

² Aliquod tempus Lampredius in Gallorum finibus egerat.

³ Cfr. *Baruch*: «Circumdabit te Deus diploide iustitiae». Diplois: «Graecum nomen, ab eo quod sit duplex amictus» (Isidori Hispalensis Ep. *Etymologiarum sive Originum* Liber XIX)

⁴ Monachus fuit, sed «abiecit togam... sacerdotium exiit».

⁵ Cfr. *Proverbia*, VI, 12-15.

⁶ *Monitorem*, «libellum famosum et taeterrimum».

⁷ Haec verba referri videntur ad Rem publicam Romanorum per milites Francogallos restitutam, annis 1798-99.

⁸ Langobardia.

⁹ Mediolanum.

¹⁰ Populus Mediolanensis.

¹¹ Cfr. librum *Genesis*, XLIX, 14-15.

¹² Domus Vicecomitum (vulgo Visconti) «in armis suae gentis habebat insignia colubri infantem tenentis mordicus. Deiecti fuerunt a F. Sforza, cujus erat scutum malo cydonio distinctum: Sforzae autem pulsus a Gallis liligeris; hique rursus a Carolo V, in monachorum ordinem transituro, cujus posteris primum Hispani deinde Austriaci Longobardiam tenuere sub tributo per satrapas».

¹³ Libertatem.

Aristides

aristidecurnense@tiscali.it

www.webalice.it/claudiusdubitatus

www.testitrahus.it